tabamur & conſolabamur. Deindè: Idem ut hodiè faciant verbi divini miniſtri ſerium Dei mandatum eſt. Ezech. 33 v. 8. *Si non monueris improbum ſuæ impietatis, ſanguinem ejus è manu tuâ requiram.* 1. Tim. 5. v. 1. 2. *Seniorem hortare ut patrem: juniores ut fratres. Mulieres natu grandiores, ut matres: juniores ut ſorores cum omni caſtitate.*

CASUS CONSCIENTIÆ XXI.

An Miniſter verbi erroneas adverſariorum ſententias pro concione refutare, etiam inhibente Magiſtratu, poſſit debeatq́;?

QUod dubium expendimus & expedivimus *cap. 1. ſect. 4.*: ubi de ἐλεγκτικῷ ſcripturarum fine egimus; inde ergo, quæ huc faciunt, advocentur. Atq́; ita *articulum de Miniſterio Eccleſiaſtico* quàm potuimus breviſſimè & maximè perſpicuè abſolvimus.

CAPUT IV.

RELIGIONIS CHRISTIANÆ ARTICULUS DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

EXplicaturi *Articulum Religionis Chriſtianæ de Diſciplinâ Eccleſiaſtica: Primò nomina, quibus* Diſciplinam *Eccleſiaſticam enunciat Dei Spiritus, afferemus: Secundò Diſciplinæ Eccleſiaſticæ antiquitatem & auctoritatem adſtruemus: Tertiò Diciplinæ Eccleſiaſticæ definitionem adducemus, & è ſcripturis illuſtrabimus: Quartò de Clave ſolvente ſeu Abſolutione agemus: Quintò & ultimò de Clave ligante ſeu Excommunicatione tùm Majore, tùm Minore diſſeremus.*

SECTIO PRIMA.

Nomina, quibus Diſciplina Eccleſiaſtica in Scipturis exprimitur & enunciatur, afferuntur.

QUod vulgò vocamus *Diſciplinam Eccleſiaſticam*, id aliis vocibus enunciat Dei Spiritus. Inprimis verò *duo* ſunt *nomina*, Spiritui Dei in hac re exprimenda uſitata. *Initiò*, ad deſignandum Diſciplinam Eccleſiaſticam adhibet Dei Spiritus *vocem Clavis Solventis & Ligantis*. Hac n verborum forma deſcribit *Chriſtus* diſciplinam Eccleſiaſticam Matth. 16 v. 19.